


Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

466

V 2 23807 e



Vidmat fernej



N 418/1951

BARTHOLOMAEUS,

Dei et Apostolicae Sedis Gratia

Episcopus Labacensis,

Ss. Theologiae Doctor,

Venerabili Clero Seculari et Regulari Dioecesis Salutem et Benedictionem a Domino!

Fratres in Christo dilectissimi! Praeter omnem exspectationem divinae providentiae placuit eripere nobis praesulem et pastorem per lustra septem dioecesim praecellenti regentem ingenio, ampla rerum experientia, indefesso laboris amore, salutis ovium curae suaे traditarum sollicitudine non intermissa, quaecunque ad statum pulchre ordinatum requiruntur, mira providentem sagacitate, posito sibi in puerorum seminario suis expensis erecto insigni memoriae monumento; ut uno verbo dicam, ad meritorum coronam translatus est praesul hoc praecipue successori munus assignans, ut bene ordinata non perturbet, erecta non prosternat, sana contra temporis injuriam tueatur, languentia reficiat, collapsura fulciat, ruinam minitantia reaadificet et Christi regnum pro viribus dilatet.

Fratres dilectissimi! Quo sincerius ardentiusque patriae nostrae tales desiderabam pastorem, qui antiquam ejus in Christi fide gloriam, si non ad majorem proveheret splendorem, saltem non minueret offuscaretque, eo minus mihi in votis esse potuit, ut haec curarum laborumque moles meae imponeretur infirmitati. Quo clarius animi humani imbecillitatem cognovi,

rerum mundanarum inconstantiam, aevi nostri genium disciplinae impatientem, societatem publicam juncturis intimis disruptis dissolutionem in atomos mi-

Orat. 1, 4. nitantem, eo magis mihi illa vitae conditio appetenda videbatur, quam S. Gregorius Naz. his describit verbis: „Nihil mihi tam optandum cuiquam esse videbatur, quam ut extra mundum positus et in seipsum collectus, nec nisi quantum necessitas exigit, quicquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse et cum Deo colloquens, superiorem iis rebus, quae in aspectum cadunt, vitam agat, divinasque species puras semper nec terrenis ullis et errantibus formis admixtas, in se ipso circumferat, Deique ac rerum divinarum purum omnino speculum sit in diesque efficiatur, ac lucem per lucem assumat, clariorem videlicet per obscuriores jamque futuri aevi bonum spe percipiat et cum angelis versetur ac licet adhuc in terris sit, terram deserat atque a Spiritu sursum collocetur.“

Cum tamen per eos, quos tamquam divinae providentiae vicarios atque ministros his in terris sum venerari edoctus, ad munus episcopale vocatio mihi contingeret, nec consilii mei ullum nisi me solum haberem socium, menti meae illud S. Bernardi dictum obversabatur: „Qui se sibi ma-

Ep. 87, 7. gistrum constituit, stulto se discipulum subdit. Prudens ergo humilitas et humilis prudentia fuit, quod nequaquam credens ad salutem te posse sufficere tibi, alieno potius arbitrio deinceps vivere proposuisti.“ Nec minus

Or. 1, 3. apte S. Gregorii Naz. monitum mihi perpendendum videbatur: „Pro meo quidem judicio malum est ac peraeque inordinatum et omnes praeesse atque imperare velle, et neminem id suspicere. Nam profecto, si omnes hoc sive ministerium dicere oportet sive imperium defugiant, maxima ex parte claudicabit nec jam pulchritudinem suam retinebit pulchrum illud Ecclesiae complementum.“ Superiorum igitur cedens voluntati, tranquillum otii literarii portum relinquens atque in pastoralium sollicitudinum mare fragilem cymbam propellens, quasi in poenam nimiae securitatis, baculum episcopalem manui meae nunquam obtrusum iri, adimpletum experior in me illud

Ps. 101, 11. prophetae: „Quia elevans allisisti me,” omniisque jure cum S. Gregorio M.

Ep. 1, 5. gemens dicere possum: „Alta quietis meae gaudia perdidi et intus corruens, ascendisse exterius videor.”

Prov. 3, 5. Personat tamen in auribus meis meque solatio replet illud Sapientis: „Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo et ne innitaris prudentiae

tuae. In omnibus viis tuis cogita illum et ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum." Domini est salus et ipse factus est refugium pauperi, adjutor in tribulatione. Arma enim militiae nostrae non sint carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, nam ignobilia 2 Cor. 10. 4 mundi elegit Deus, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Christus 1 Cor. 1. 29 quoque Dominus noster et magister Ecclesiam suam his in terris fundatus non elegit potentes hujus mundi, ne timore externo regnum Dei adpareret propagatum; non divites, ne auri argentine cupidine ducti confluenter Evangelii auditores; non sapientes atque doctos, ne in persuasilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis credentium fides esset radicata; sed piscatores, ut fides sit in virtute Dei. „Veni tu pauper, sequere me, dicebat Salvator, nihil habes, nihil nosti, non potes dicere: dignitas mea, opulentia, potestas, sapientia mea electa est. Non est quod in te expavescatur, sed multum est, quod in te impleatur. Tam largo fonti vas inane admovendum est. Dimisit retia piscator, accepit gratiam piscator et factus est divinus orator. Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Leguntur modo verba piscatorum et colla subduntur oratorum. Tollantur ergo de medio inanes venti, tollatur de medio fumus, qui crescendo evanescit, prorsus pro salute ista contemnuntur.⁴ Fides nostra 1 Cor. 2. 5 non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. „Sufficit tibi gratia mea“, 2 Cor. 12. 9 dixit Dominus gentium Apostolo, „nam virtus in infirmitate perficitur.“ Tu igitur, Domine, adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Libenter cum apostolo gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. In timore Domini fiducia fortitudinis. Prov. 14. 26.

S. Aug. Serm.
87, 12

Animat me vero etiam, Fratres dilectissimi! vestra pietas atque in Christo charitas. Quamdiu inter vos transigere dies mihi fuit concessum, laudem, quam S. Clemens Rom. Corinthiis tribuit, ad vos quoque spectare Ep. 1. 1. intellexi: „Quis enim apud vos deversatus, omni virtute plenam firmamque ac stabilem fidem vestram non probavit, sobriamque et moderatam in Christo pietatem non est admiratus? In Dei legibus ambulastis, praepositis vestris subditi, Dei viatico contenti et ad verba ejus diligenter adtendentes, intime recondita in visceribus servabatis verba ejus, ejusque passiones vobis p[re]ae oculis erant.“ Diligenter fregistis panem parvulis instituendo in Christi doctrina, populum fidelem sermonibus sacris in via justitiae dire-

xistis, in poenitentiae tribunali correxistis errantes, sanastis infirmos, robostaris vacillantes, moribundos solatio replestis, omnes omnino pro indigeniarum varietate doctrina sana, fide non ficta in Christo custodire studiostis, ne vestra culpa ab aeterna salute excideret quisquam. Hunc zelum, charitatem hanc propriis oculis spectavi juvenis et veneratus sum, hoc zelo ad Christi militiam ambiendam amplectendamque accendebar et satis longo tempore nonnisi aegro animo adjunctis externis me impeditum sensi, quod laborum vestrorum non fuerim socius. Oculis plus credimus, quam auribus. Sacerdotum proinde fidelitas in explendo munere suo, vitae ratio cum doctrina tradita consentiens illam fidem firmam populo instillavit, quam in omni paupertate, in omnibus vitae curis tamquam pretiosam margaritam aestimavit conservavitque, simul vero et animis indidit eam erga sacerdotes reverentiam obedientiamque, quae pastoralis zeli aequa fuit fructus ac praemium. Ita mutua charitate tribuentes recipientesque omnes acceptis iisdem divinis moribus in Jesu Christo vos invicem dilexistis, omnes in unum Dei templum concurrentes, ad unum altare, ad unum J esum Christum, qui ab uno Patre prodiit et ad unum reversus est et cum uno perseverat.

Dum laetus horum reminiscor, haud me latet, inter triticum nec zi-
1 Cor. 11, 19. zania defuisse, nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, mani-
Hebr. 13, 8. festi fiant. — Jesus Christus heri et hodie. Quapropter securus confido,
 vos labente tempore non in deterius, sed in melius profecisse, memores
Phil. 3, 13. exempli apostolici: „Fratres, ego me non arbitror comprehendisse“, scribit
 S. Paulus. „Unum autem, quae quidem retro sunt obliviscentes, ad ea vero,
 quae sunt priora extendens me ipsum.“ Quod imitatus S. Augustinus uni-
Serm. 169, 18. cuique acclamat: „Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id,
 quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris:
 Sufficit et peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via
 remanere, noli retro redire, noli deviare.“ Securus igitur confido, vos in fide
 esse constantes, in charitate ferventes, in labore indefessos, exspectantes
Tit. 2, 13. beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Temporibus nostris vigilantia sacerdotum laborque mirum in modum
Trinit. I, 15. augenda sunt, nam emerserunt desperata in sese et saeva in omnes impiae
 temeritatis ingenia, prout S. Hilarius de sui temporis haereticis scribit, potentem

Dei naturam naturae suae infirmitate moderantium, neque ut ipsi usque ad infinitatem opinandi de infinitis rebus emergerent, sed intra finem sensus sui indefinita concluderent, essentque sibi arbitri religionis, cum religio-
nis opus obedientiae esset officium. Latam in fide, tristem in moribus ubi-
que stragem editam lugere debemus. Minime tamen est desperandum, immo eo fortius intensiusque sub Christi vexillis dimicandum. Aestu-
um accessus et recessus, ut in aquis marinis, ita in humani generis historia continuos est videre. Antiquissimis temporibus videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, dixit: „Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia Gen. 6, 3.
caro est.“ Ubi spiritus Dei est, ibi est vita beata, mutationi haud obnoxia. Quare igitur vita haec homini his in terris in perpetuum non est concessa? Nam si spiritus Dei in eo non permanet, fugit etiam vita beata. Quia caro est. „Omnis enim caro foenum“, clamat propheta. „et omnis gloria ejus, quasi Jes. 40, 6.
flos agri. Exsiccatum est foenum, et cecidit flos.“ Quidquid in hac terrena carne vivit, inconstans est mutationique obnoxium. Pulcherrimorum ruinae monumentorum, florentissimarum civitatum vestigia prorsus oblitterata, inventa praestantissima perfecta oblivione obruta mendacem ostendunt jactan-
tiā, in gentium historia nullum esse defectum, sed continuum profectum.

Haud raro accedit, ut omnes opulentiam et otium tamquam summum bonum unice quaerendum proclament, possidere et frui cuncti festinent desudentque. Sine opulentia non habent, quo fruantur, sine otio partis frui non licet: nam quies inops prope quoddam vitae ipsius intelligitur exilium; opulens autem inquietudo tanto plus calamitatis affert, quanto majori indigitate his caretur, quae maxime et optata et quaesita sunt ad utendum. Nihil juvat possessio, qua uti non conceditur. Attamen haec duo, quamquam in se summa et optima vitae blandimenta contineant, non multum videntur a consuetudine belluinae oblectationis aliena, cum animalibus in saltuosa loca ac maxime pascuis laeta evagantibus adsit et securitas a labore et satietas ex pascuis. Unice quaesita tantum abest, ut constanter beatam reddant vitam, ut eam miseram efficiant atque integra regna ad interitum propellant. S. Hilar. de Trinit. I, 1.

Deus os homini sublime dedit coelumque tueri jussit et erectos ad sidera tollere vultus. Ab ipso proinde naturae auctore impulsi debent ho-

mines censerit, ut in officium ventris tantum et inertiae se natos arbitrari indignum existimant; hanc ipsam vitam non ad aliquem profectum esse aeternitatis indultam, sed ad mortem tantum ab immortali Deo tribui a se alienum censeant; cum boni largitoris non esse intelligatur vivendi jucundissimum sensum ad tristissimum metum tribuisse moriendi. Quo profundiis ergo homines studiis terrenis immersi, carnis voluptatibus dediti, originis suae coelestis oblii adparuerunt; eo propius instabat tempus, quo ex his sordibus iterum emersi Deum auctorem suum cognoscere festinaverunt; ei famulari suam nobilitatem existimarunt, in ejus bonitate inter praesentium negotiorum calamitates tamquam tutissimo portu familiarique requieverunt. Vix unquam morum corruptio latius grassabatur, quam Apostolorum tempore; vix barbaries omnia culturae germina immitius conculcatura videbatur, quam in populorum germanicorum migratione; vix omnis ecclesiasticae disciplinae neglectus majorem Ecclesiae minabatur ruinam, quam circa Concilii Tridentini tempora: attamen Christi Ecclesia de omnibus his hostibus inexpectatas reportavit victorias, augustiore splendore refulgens se tamquam Dei aedificationem supra firmam petram fundatam exhibuit, contra quam perstrepunt quidem spumantque hujus seculi fluctus, quin unquam eam evertere perdereque valeant. Neque externi hostes, neque vitia in ipsius liberis grassantia, neque inanis scientiae superbia unquam efficient, ut

Matth 24, 35. mendax ostendatur effatum Christi dicentis: „Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.“

Dicant plurimi, Evangelii praedicationem nostrae aetatis culturae non posse satisfacere, jam senuisse seponendamque esse, in sacerdotibus non amplius omnem scientiam ita esse collectam, ut societatis recentissimae possint haberi magistri; haec quoque spiritus praesumtio tamquam fumus disparebit, qui quo altius extollitur, quo magis ipsa elatione crescit, tanto fit vanior; ab illa enim magnitudine non fundata et solidata, sed pendente et inflata in auras atque in ventos dilabitur, ut videoas ipsam ei obfuisse magnitudinem. Quanto enim plus evectus est, extensus, diffusus undique in ma-

1 Cor. 1, 20. jorem ambitum, tanto fit exilior et deficiens et non apparens. „Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?“

Insistamus igitur, fratres carissimi! vestigiis gentium Apostoli scri-

1 Cor. 2, 1. bentis: „Ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate ser-

monis aut sapientiae, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. Evangelium enim Dei est virtus in salutem omni credenti.^a Affert causam, Rom. 1, 16 ob quam rejiciat hujus mundi sapientiam dicens: „Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.“ „Quia per superbiam homo lapsus est“, ait S. Augustinus, „Deus humilitatem adhibuit ad sanandum; serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur.“ In hominis corrupta natura et in divina oeconomia, qua homo sanandus fuit, reposita est ratio, ob quam doctrina fastui humano adeo adversa, ut ea de Christo crucifixo, facta sit necessaria.

Doctr chr.
1, 13.

Homines ex attenta sui consideratione Deum ita cognoscere potuisserunt, ut nunquam in idolatriæ stultitiam fuissent prolapsi. „Quamdiu“, inquit Sermo 52, 17. S. Augustinus, „homo circuis creaturam? Ad te redi, te vide, te inspice, te discute. Hominem enim Deus fecit ad imaginem et similitudinem suam. Respice interiorem hominem tuum.“ Ex imagine facilius est auctorem cognoscere, cum et factura existentiam factoris, et similitudo proprietatem conditoris doceat. Homines ex sui cognitione ad Dei notitiam perducti universae reliquæ creaturae contemplatione in hac principali veritate confirmari debuerint juxta Apostolum dicentem: „Invisibilia Dei, a creatura mundi, per Rom. 1, 20 ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.“ Quo clarius præterea ex perspecta morali sua indole omni creatura visibili nobiliores se intellexissent, eo minus ad corporum coelestium terrestriumque adorationem deviassent.

Quia vero Deum non glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt Rom. 1, 21. in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum; mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum; et cum ita stulti facti sunt, se tamen sapientes esse dicebant. In Dei ergo sapientia, tum præprimis in hominis indole spirituali tum in reliquis operibus manifesta, mundus per insipiens cor seductus corruptusque, et hanc corruptelam sapientiam reputans, Deum non cognovit. Immortalis enim justus a nobis tamquam mortalibus et peccatoribus et ideo mortalibus quia peccatoribus longe factus est. Ideo, ut S. Augustinus ait, descendit ad nos, ut fieret nobis proximus ille longinquus. Cum ha-

Serm. 171, 3.

beret ipse duo bona et nos duo mala, ille justitiam et immortalitatem, nos ini-
quitatem et mortalitatem, quorum unum culpa, alterum poena est; susci-
piendo poenam et non suscipiendo culpam, et culpam delevit et poenam.
Haec jam est stultitia praedicationis. Quid enim ab homine superbo magis
alienum, quid ei inflato absurdius, quam Deus excelsus in contumeliam
traditus, auctor vitae in mortem crucis? Ast hac stultitia indigebant homi-
nes, non ille Excelsus, qui non eguit homo effici, per quem homo factus
S. Hilar. de est; sed nos eguimus, ut Deus caro fieret et habitaret in nobis, id est as-
Trinit. 2, 25. sumtione carnis unius, membra universae carnis incoleret. Humilitas ejus
nostra nobilitas est. Omnes igitur huic praedicationis stultitiae credentes
salvi facti sunt, conseulti cum Christo per baptismum in mortem, ut quo-
Rom. 6, 4. modo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et ipsi in novitate
vitae ambulent.

Dum autem nonnisi Jesum Christum et hunc crucifixum scimus et
praedicamus, mentibus nostris alte sit insitum, ad hanc praedicationem mul-
tam atque amplam requiri scientiam; nam juxta monitum principis Aposto-
lorum, Dominum Christum sanctificantes in cordibus nostris, parati semper
1 Petr. 3, 15 simus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quae in nobis est
Eph. 3, 18. spe. Contendere quoque debemus, ut possimus comprehendere cum omnibus
sanctis, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum, scire etiam
Phil. 1, 9. supereminente scientiae charitatem Christi; abundare in scientia et in
Col. 2, 2 omni sensu, ut probemus potiora; instructi esse in omnes divitias plenitu-
dinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu.

Nostris quoque temporibus, qui hujus mundi sapientes vocari volunt,
antiquam erroris viam calcantes creaturam deum faciunt, creatorem vero
Jud. 13. ignorare malunt; quaecunque quidem ignorant, blasphemant; quaecunque au-
tem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur, se-
metipsos pascentes, arbores infructuosae; et ideo per suam sapientiam Deum
in ipsius sapientia non agnoscent. Quapropter nobis, fratres dilectissimi, tanto
ferventius juxta S. Pauli exemplum in stultitiae crucis praedicatione perse-
verandum est, ut quos Deus praescivit et praedestinavit conformes fieri
Johan. 15, 4. imaginis filii sui credentes salvi fiant. „Sicut autem palmes non potest ferre
fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manse-

ritis“, monet Salvator apostolos. „Si manseritis in me et verba mea in ^{Johan. 15, 7.}
 vobis manserint, quodcunque volueritis petetis; et fiet vobis. Si paecepta
 mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei pae-
 cepta servavi et maneo in ejus dilectione.“ Amor quaerit unionem. Cum
 Christus dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos deditque
 eis carnem suam manducandam et sanguinem bibendum, ut impleatur, quod
 ipse promisit dicens: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguine-^{Johan. 6, 57.}
 nem, in me manet et ego in illo.“ Nam „Ego sum panis vivus, qui de coelo ^{Johan. 6, 51.}
 descendii; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem
 Ego dabo, caro mea est pro mundi vita.“ Maneant Christi verba in nobis,
 servemus paecepta ejus, manducemus carnem ipsius et bibamus sanguinem
 ejus, tunc vere manebimus in dilectione ejus. Sed maneant Salvatoris verba
 in nobis constanter, servemus paecepta ejus fideliter et manducemus car-
 nem ejus digne. „Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi man-^{1 Cor. 11, 29.}
 ducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.“ Si haec tria fecerimus prout
 oportet, manebimus in Salvatoris dilectione, quae est illa supereminens clari-
 tas, de qua Dominus noster in oratione sua ad Patrem dicit: „Et Ego cla-
 ritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.“ ^{Johan. 17, 22.}

Haec unitas vere vita nostra est, gloria nostra, perfectio, spes et
 felicitas nostra. Haec unitas character quoque externus est Ecclesiae Christi.
 Petro tamquam petrae, super quam aedificavit Salvator noster Ecclesiam
 suam, oves proprias commisit pascendas et agnos, fratres confirmandos.

In persona Romani Pontificis Petri veneramur successorem, centrum uni-
 tatis, Christi in terris vicarium, eique tamquam patri adhaeremus cum patribus
 Constantinop. Concilii IV. dicentes: „Sequentes in omnibus apostolicam sedem ^{Act. I.}
 et observantes ejus omnia constituta speramus, ut in una omnium commu-
 nione, quam sedes Apostolica paeedit, esse mereamur, in qua est integra
 et vera christiana religionis soliditas.“ Quicunque ab hac unitate discedunt,
 non sunt in Ecclesia Christi. „Omnes boni pastores“, ait S. Augustinus, „in uno ^{Serm. 46, 30.}
 sunt, unum sunt. Illi pascunt, Christus pascit. Nam et ipsum Petrum, cui
 commendabat oves suas quasi alter alteri, unum secum facere volebat,
 ut sic ei oves commendaret, ut esset ille caput, ille figuram corporis por-
 taret, id est Ecclesiae, et tamquam sponsus et sponsa essent duo in carne

una. Proinde ut oves commendaret, quid ei prius dicit, ne illi tamquam alteri commendaret? Petre, amas me? Et respondit: Amo Confirmat caritatem, ut consolidet unitatem. Gloriantur pastores; sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc est Christo pascere, hoc est in Christo pascere et cum Christo pascere, praeter Christum sibi non pascere.“

Sicut vero in Romano Pontifice omnes episcopi in unum corpus coadunantur, ita omnes reliqui fidelium pastores cujuscunque dignitatis cum Phil. 3. suo episcopo cohaerere debent, ut sint viva Christi membra. „Quotquot Dei et Jesu Christi sunt“, scribit S. Ignatius M. apostolorum discipulus, „hi sunt Trall. 1. cum episcopo. Cum episcopo subjecti sitis ut Jesu Christo, videmini mihi non secundum hominem, sed secundum Jesum Christum vivere, qui propter Magn. 3. nos mortuus est, ut credentes in mortem ipsius, mortem effugiat. In honorem illius, qui amat nos, decet obedire sine ulla hypocrisi, quia non solum episcopum hunc visibilem quis fallit, sed invisibilem decipere conatur.“

Ex hac unione in charitate radicata et in augmentum charitatis redundante per omnes venas et juncturas in omnia Ecclesiae membra fluit spiritus vivificans, robur et gaudium subministrans. Cum nemo, quae sua sunt quaerit, sed alterius necessitati succurrere quisque amat, nemo eget, Clem. Rom. nemo se neglectum queritur; immo cuncta conspirant et una eademque 1 Cor. 37. subjectione ad conservationem totius corporis utuntur. Proinde monet vir 1 Cor. 38. apostolicus S. Clemens Rom.: „Servetur corpus nostrum in Christo Jesu, et unusquisque proximo suo subjiciatur juxta ordinem, in quo per gratiam ejus positus est. Fortis ne negligat imbecillum, imbecillis fortem revereatur; dives pauperi largiatur, pauper deum laudet, quod ei dederit, per quem ejus inopia suppleatur. Sapiens non in verbis, sed in bonis operibus sapientiam suam manifestet, humilis non sibi testimonium ferat, sed ab altero sibi ferri sinat. Unusquisque vestrum, fratres, in suo ordine, in bona conscientia, praescriptam ministerii sui regulam non transgrediens, in honestate Deo gratias agat.“

Col. 1. 13. Deus eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemtionem ejus, remissionem peccatorum, proinde ut filii lucis ambulare debemus. Si quis ambulaverit in

die, ait Salvator, non offendit, quia lucem hujus mundi videt; si autem am- Johan. 11, 9.
 bulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Lux quidem nostra
 Christus est, sed Christus cognitus; in luce ergo ambulamus, si Christi per-
 sonam, doctrinam, opera perspecta habemus et quantum ad nos spectat, vita
 nostra exprimimus. Prae omnibus necessaria nobis est scientia rerum sacra-
 rum. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Beati sacerdo-
 tes, quibus Apostolus posset dicere: „Tu sacras literas nosti, quae te possunt 2 Tim. 3, 15.
 instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu.“ Omnis scriba
 doctus in regno coelorum similis sit homini patri-familias, qui profert de
 thesauro suo nova et vetera. Lubenter proinde occupemur lectione et medi-
 tatione scripturae divinitus inspiratae, quae utilis est ad docendum, ad ar-
 guendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo
 Dei, ad omne opus bonum instructus. „Si notitia Dei causa est, ut homo Ep. 18.
 aliquid sit, ignorantia facit, ut nihil sit“, scribit S. Bernardus. „Beatus Apo-
 stolus novum ecclesiae hominem praeceptis suis condens, hanc veluti summam
 consummatarum in eo virtutum esse docuit dicens: Obtinentem secundum
 doctrinam fidei verbum, ut potens sit exhortari ad doctrinam sanam et
 contradicentes revincere. Ita enim, quae propria disciplinae ac morum sunt,
 ad sacerdotii meritum utilia esse significat, si etiam haec, quae ad docendae
 ac tuendae fidei scientiam necessaria sunt, inter reliqua non deerunt, quia
 non statim boni atque utilis sacerdotis est aut tantummodo innocenter agere
 aut tantummodo scienter praedicare; cum et innocens sibi tantum proficiat,
 nisi doctus sit, et doctus sine doctrinae sit auctoritate, nisi innocens sit.
 Apostolicus sermo perfectum Ecclesiae principem perfectis maximarum vir-
 tutum bonis instituit, ut et vita ejus ornetur docendo et doctrina vivendo.“ S. Hilar. de
Trin. 8, 1

Nemo sacerdotii munus suscipiens unquam sibi sufficiat, nec eam
 vitae rationem ineat, ut suo ipsius arbitrio vivat ac mores suos sibi uni-
 probatos esse velit; quin potius eis mentem suam et consilium submittat,
 qui et vita et tempore et labore Domini vineam jam ante foderunt et co-
 luerunt, a quibus munus istud facile perdiscat. Ridiculum enim foret, cum
 ut vilium artium magistros nanciscamur, huc atque illuc oberremus, divi-
 nam tamen scientiam tamquam despiciendum aliquod nobis ipsis committa-
 mus. „Divinis in literis semper et lingua et mente versare“, monet S. Gre-

Poem. dogm.
12.

gorius Naz. „Aut enim Deus hoc dedit laboris praemium, ut occultam aliquam lucem percipias, vel quod optimum est, pungaris Dei sancti magnis praeceptis; vel demum, ut his sollicitudinibus avoceris a rebus terrenis.“

Carm. de Ep. Ast idem doctor dicit: „Odi doctrinas, quibus vita adversatur. Illorum me puduit, qui illotis manibus profanisque animis in sanctissima mysteria sese inferunt ac priusquam digni sint; qui ad res sacras accedunt, sacrarium ipsum ambiunt et circum sacrosanctam mensam sese invicem premunt ac protrudunt tamquam non virtutis exemplum, sed victus parandi occasionem et subsidium hunc ordinem esse judicantes.“ Dominus noster monet: „Sint

Luc. 12, 35. lucernae ardentes in manibus vestris.“ Huic monito satisfacimus, si virtutem exercentes tam externam verbis prolatam, quam internam rationem perpetuo fulgentem habeamus. Nam ea, quae est interius, nosmetipsos illustrat; ea autem quae foras profertur, alios illuminat. Sacerdotes scientia ampla et virtute perfecta ornati vere sunt luminaria mundi, qui ut etiam nullum verbum emittant, silentio tamen quavis voce clariore discipulos suos erudiunt, non ipsorum aures oblectantes, verum animis lumen ac splendorem offerentes. „Sermo vivus et efficax exemplum est operis, facile persuadens, quod

Serm. de Resur. 2, 11. intendimus, dum factibile probat esse, quod suademus,“ ait S. Bernardus.

In omni conversatione nostra memores simus illius apostolici verbi:

1 Cor. 8, 13 „Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem, propter quem Christus mortuus est.“ Sunt ho-

Serm. 47, 11. mines, ait S. Augustinus, qui putent, sibi in bene vivendo sufficere conscientiam, et non valde current, quid de illis alter existimet, ignorantes, quia cum homo viderit hominem bonae conscientiae negligentius viventem, passim se cuilibet et ubilibet conjungentem, conscientia illius cum sit infirma, aedificatur non ad ea, quae perscrutatur, sed ad ea, quae suspicatur. Neque enim homo, par tuus, frater tuus, intrare potest in conscientiam tuam, quam novit Deus. Conscientia tua coram Deo est, conversatio tua coram fratre tuo. Quid prodest, quia venter conscientiae tuae hausit aquam puram, et ille de tua negligenti conversatione babit turbatam?

Fratres dilectissimi! Divinae providentiae consilia ab oculis nostris abscondita sunt nec scire valemus, quam sortem dies crastina nobis sit para-tura. Unicum hoc nos latere non potest, timorem Domini a plurimis esse

abjectum. Facile jam in proximo nobis imminet, ut experti discamus veritatem effati prophetici: „Scito et vide, quia malum et amarum est, reliquisse Jer. 2, 19. te Dominum Deum tuum, et non esse timorem Mei apud te, dicit Deus exercituum.“ Ne forsan tentatio nos imparatos inveniat, ne deprehendat nos dies Domini conflans et mundans, sicut fur in nocte, firmi stemus in justitia et timore, praeparemusque animas nostras ad temptationem, discamus Ecli. 2, 1.] naturam nostram vincere exemplum Abrahami imitantes, qui trophyae in- Gen. 22. signe, non contra tyrannos, sed contra ipsam, quae maxime tyrranicam vim habet naturam erexit. Nam cum omnes ratiocinationes cogitationesque ad-versus ipsum insito paterni amoris affectu armatae essent et ipsum vulnere niterentur, ipse tamen mansit invulneratus et erat cernere naturam quidem ipsam cum suis armis atque copiis omnibus humi prostratam, ipsum vero stantem et manum extendentem, non corona praeditam, sed gladio quavis corona illustrius fulgente armatam. Hic gladius evidentissimum erat documentum obedientiae erga Deum invictissimae. Quotidie dicimus: „Sursum corda.“ Hebeamus igitur sursum cor, sed ad Dominum, non contra Dominum, tunc ipse tenebit cor nostrum, ne cadat in terram. Ita animati populum fidelem in via, quae Christus est, continere et in hujus vitae labo-ribus patientiam docere poterimus. Sine patientia spes vitae futurae custodiri non potest, ast nemo potest esse patiens, nisi mitis et mansuetus, qui non resistit voluntati divinae. Jugum Christi quidem lene et sarcina ejus levis est, sed credentibus Deo, sperantibus in eum, diligentibus eum. Mites et mansueti non solas Domini consolationes amabimus, sed etiam flagella tamquam filii morigeri sustinebimus. Peregrini sumus in hoc seculo, quamvis non omnes ad patriam redire desiderent. Ex ipso autem itinere fluctus S. Aug. Serm. 75, 2. tempestatesque patimur; sed opus est, ut in navi simus. Nam si in navi pericula sunt, sine navi certus interitus. Quantasvis enim vires habeat lacertorum, qui natat in pelago, aliquando magnitudine maris victus absorbeatur et mergitur. Opus est ergo, ut in navi simus, hoc est, ut in ligno portemur, ut mare hoc transire valeamus. Hoc autem lignum, quo infirmitas nostra portatur, crux est Domini, in qua signamur et ab hujus mundi submersionibus vindicamur. Domini ergo crux sit virtus nostra in temptatione, solamen in adversis, spes in angustiis, lumen in tenebris, sit nobis requies laborum. In cruce dominica reclinemus lassum caput nostrum et requiescamus fiducialiter, quia Dominus suscipiet nos. In cruce salus nostra, etsi

patimur saevos seculi fluctus; qui mortuus est pro nobis in cruce, Deus noster est, nec sinet perire confugientes ad eum, nam potens est Dominusque *Luc. 8, 23.* virtutum. Quando Christus navigantibus discipulis obdormivit, descendit procella venti in stagnum et complebantur et periclitabantur. Discipuli navigantes sunt animae hoc seculum in ligno, in navi, quae est Ecclesia Christi, transeuntes. Christus vigilat, quando fides in cordibus vigilat; Christus dormit, dum Christi obliviscimur et tunc descendit in eorū nostrum procella, saeviunt fluctus, nos periclitamur. Excitemus Christum, vigilet fides nostra, et cessabit tempestas fietque tranquillitas magna. Nullum timeamus hostem externum, vincamus nosmetipsos et mundus erit victus. Tu, Domine! refugium factus es nobis. Bona das, blandiris, ne fatigemur in via; corripis, caedis, percutis, ne aberremus a via. Sive ergo blandiris, ne fatigemur in via, sive castigas, ne aberremus a via, Domine refugium factus es nobis.

Tu igitur nostra manes spes, tu nostra es salus, in omnibus nostris necessitatibus a te exspectamus auxilium! Ad te proinde nunc levamus manus nostras supplices ex intimo corde deprecantes, ut Sanctissimum Patrem Nostrum Pium, Christi tui in terris vicarium contra hostes malignos virtute tua defendas atque in pace Ecclesiam tuam sanctam regere et gubernare propitius concedas; deprecantes quoque pro Augustissimo Imperatore nostro Francisco Josepho, ut illum dextera potentiae tuae fulcias, in viis justitiae tuae prospere procedere facias, salvum et in columem cum populis ejus curae commissis ad aeterna praemia ducas; deprecantes demum pro nobis invicem, ut nos omnes in tuo servitio fideles custodias, ad tui nominis gloriam augendam labores nostros dirigas, ut te nosse nostra semper sit sapientia, tibi adhaerere beatitudo nostra, te tandem a facie ad faciem videre praemium nostrum.

*Greg. Naz.
Or. I.*

Deus pacis, qui nos nobis invicem reddidit, qui reges in thronis collocat et pauperes a terra excitat atque inopes e stercore erigit, qui elegit David servum suum et de gregibus ovium sustulit, cum inter filios Jesse minimus natu esset, qui ad Evangelii perfectionem dat verbum evangelizantibus virtute multa, ipse dextram nostram manum teneat et in voluntate sua deducat et cum gloria suscipiat, pastores pascens et doctores docens, ut ipsius gregem scite pascamus, non autem in vasis imperiti pastoris.

Ipse det virtutem et fortitudinem plebi suae et exhibeat sibi splendidum gregem et immaculatum ac coelesti caula dignum in laetantium habitatione, in sanctorum splendore, ut in templo ejus omnes dicamus gloriam, grex simul ac pastores in Christo Jesu Domino nostro, cui omnis gloria, et benedictio ejus super nos in secula seculorum. Amen.

Labaci in dominica quinta post pentecosten. Anno 1860.



NAR. IN UNIV.

15

Vincent